


IVE XV



8°

Romæ. In S. Eusebii Monasterio?





De ingenuis moribus: liberalibusq; studiis: et de liberis educandis: per clarissimum uirum Petrumpaulum Vergerium iustinopolitanum: ad Vbertinum de carraria Incipit

Franciscus senior auus tuus: cuius ut extant plurime res magnifice geste: ita & multa passim sapiēter ab eo dicta memorātur. dicere ut accepimus Vbertine solebat: tria esse: ĩ quibus bene consulere suis liberis parētes: ut facile possent: ita iure: meritoq; tenerentur. Primium. uti honestis illos nominibus appellent Nā est ut in re parui momēti: non parua iactura in decorē nominis appellationem sortitū esse: in quo quidem solēt errare plerumq; nonnulli: dum leuitate quadā: aut ipsi nouorum nominū auctores haberi uolūt. aut si qua a suis maioribus acceperūt: tanq̃ gētile patrimoniū ad posteros certa fide trāsmittūt. Alteꝝ: ut in egregiis urbibus eos statuant. nam amplitudo splēdorq; patrie plurimū ualet: cum ad opes & gloriam. tū ad id quod tercio loco constituebatur ab illo etiam dicetur a nobis. Quamq̃ in hoc plerumq; eueniat quod Themistocles cū esset atheniensis

Seriphio cuidam in contētione respondit: dum ille non uirtute propria: sed patrie gloriosum factum eum contenderet: Neq enim inquit is uel tu si atheniensis esses: clarus extitisses: aut ego si Seriphius essem ignobilis. Tercium autē erat: uti bonis artibus eos erudirent: preclare omnia: ut in omni genere rerum prudētissimus sui temporis et erat. et habebat̄. sed postremū illud preter cetera commodissime. neq ullas firmiores opes: aut certiora presidia uite parare filiis genitores possunt: q̄ si eos exhibeāt honestis artibus: & liberalibus disciplinis instructos: quibus rebus prediti: & obscura sue gentis nomina: & humiles patrias attollere: atq illustrare consueuerunt. Nam & mutare sibi nomē: dū id sine fraude fiat: unicuiq p leges licet: et trāsferre domiciliū nemo phibet̄. Artibus uero bonis nisi qs ab adolescētia fuerit institutus aut si peruersis īfectus extiterit: non facile de se speret posse: aut has abiicere: aut continuo illas sibi parare. Iacienda sunt igitur in hac etate: fundamēta bene uiuendi: & conformandus ad uirtutem animus: dum tener est: et facilis quamlibet impressionem admittere: que ut nunc erit ita & in reliqua uita semper seruabitur. Verū cum omēs homines deceat: parētes quidem in primis esse

eos qui recte erudire suos liberos studeãt: et filios deinde tales: qui parentibus bonis digni uideri possint. precipue tamen qui ex celsiori loco sunt: quorumq; nichil neq; dictũ neq; factũ latere potest. Decẽs est ita in principalibus artibus ĩstructos esse: ut & fortuna: & gradu dignitatis quam obtinent digni habeanẽ. Equũ est .n. qui summa sibi omnia deberi uolũt: debere et eos summa omnia de se prestare. nec est ulla aut certior aut firmior aut stabilior regnandi ratio: q̃ si hii qui regna obtinent: ab omnibus dignissimi omniũ regno iudicentur. Quãobrẽ cum sis Vbertine primũ quidẽ nomẽ sortitus: quod fuit in uestra familia diu celebre & ab eo nuper illustratũ: qui retro sextus ex genere uestro tenuit. Deinde ĩ hac uetustissima regia urbe: que cunctarum bonaꝝ artiũ studiis floret: et rerum omniũ copia in hoĩm usum abundat: ex principum genere: atq; ipso patre principe natus. sub cuius dictu: et felix urbis status: et familie uestre clarũ nomẽ excrescit ĩ dies. magnopere letor: pro mea fide: tua tuorũq; in me beniuolentia: q͏̃ te uideo cum per parentis diligẽtiã: tum maxime tuo iudicio ad bonas artes & preclara studia omni nisu propensum ferri.

Et ſi.n. illa tria que diximus a parētibus maxīe
deſiderari uideantur: in quorum profecto ſin-
gulis non ſum qui negem eos poſſe plurimum:
precipue tamē parētes nomina imponunt natiſ:
caſus nonnunq̄: electio dat homini patriā: Bo-
nas autem artes aut ipſam uirtutē ſibi ipſi unuſ-
quiſq; comparat. Que quidē pre omnibus que
poſſunt ab hominibus queri exoptanda eſt. Nā
opeſ: gloria: uoluptateſ: fluxe res ſunt. fructuſq;
uirtutum perſtat integer: atq; immortalis ma
net. Hoc igit̄ ſi te commoneā ut ſedulo facias:
tam et ſi libēter id preſto: uideo tamen eſſe nō
neceſſarium. Quid enim poſſum aliud monere
te ut facias: q̄ quod ſemper faciſ: aut quem tibi
alium ad exemplum uirtutis commendare: q̄
teipſum: Cum enim ita ab ipſa natura: & animi
et corporis dotibus conſtitutus uideare: ut oīa
magna ſperare de te liceat: tuq; adeo etiam ma
iora oīa preſtas: ut non modo ſpem: ſed et uota
quoq; hominum exſuperes. Quid eſt quod ab
hortatione mea promoueri poſſis: aut ceteroꝝ
imitatione magis accendi. Tuo igitur nomine
hoc opus ſuſcepi: de liberalibus adoleſcētie ſtu-
diis ac moribus: id eſt ī quibus rebus exerceri
ingenuos adoleſcentes: quidue cauere conuēiat

adortus sum: ad te scribere. non quidē quo ipse
te: sed ut per te ceteros id etatis commoneam:
et cum quid agendū sit aliis prefinio: Tu quod
per te facias in te recognoscas. Cū enim sit ho-
mo ex aīa et corpore constitutus: magnū qddā
a natura michi consequuti uidētur: quibus est
datū: ut & corporis uiribus & īgenii ualerent:
Nam cum plurimos uideamus: quibus sine cul
pa euenit nascentibus: ut et īgenio essent tardo
et corpe imbecilli: quantas gratias haberi nat̄e
conuenit: si secundū utraq; hec ītegri sumus &
ualidi: ita. n. aut referetur digna nature gratia
si non neglexerimus eius munera. sed ea rectis
studiis: bonisq; artibus excolere curauerimus.
Principio igitur erit unicuiq; suum ingenium
pre se spectandum. aut si minus per etatem no-
bis ppendere id licebit. parentes: ceteriq; qbus
cure erimus anīaduertere debebunt: & in quas
res natura proni: aptiq; fuerimus: eo potissimū
studia nostra conferri: et in eo totos uersari cō-
ueniet. maxime uero qui liberale ingenium a
natura consecuti sunt: sinendi non sunt: aut īerti
ocio corpore: aut illiberalibus īplicari negociis
Omnino aūt liberalis ingenii primū argumētū
est studio laudis delectari. et excitari: īcendiq;

amore glorie: unde nascitur generosa inuidia. et sine odio: de laude: pbitateq; contētio. proximum uero: parere libenter maioribus: nec esse bene monentibus contumaces. Nam et equi meliores ad pugnā habētur: qui faciles sunt manu regi: et ad tubarum clangorem arrectis auribus exultant: ita iuuenes: qui bene audiunt monitoribus: et laudati excitantur ad bonum: spemq; uberis frugis ferre pre se uidentur. Cum enim bonū uirtutis honestatisq; faciē inexperti rerū racione complecti non possunt: que si posset oculis uideri: mirabiles ad sapientiam ut inquit Plato: & Cicero meminit de se amores excitaret. Proximum uero ab hoc gradu: ut glorie: laudisq; studio ad optīa conari uelint. Amplius autem: et qui sunt in actionibus prompti: fugientes ocium: amantq; aliquid recte agere: bene a natura dispositi uidentur. Nam ut in eiusdē generis similitudinibus uersemur: queadmodū equi cursores meliores habent̄: qui dato signo: protinus exiliuut: nec calcarium stimulos: aut flagellorum plagas: morati subsistunt. ita adolescentes: qui constitutis horis: ad solita studia: intermissaq; paulisper exercitia alacres sine monitione redeunt: preclare constituti ad uirtutis

opera habendi sunt. Sed et si comminationes et uerbera metuant: magis si dedecus & ignominiã: unde nascit̃ uerecundia: que est in ea etate signum optĩm. Bene igitur habet: si et obiurgati erubescant: et castigati fiant meliores: suosq̧ preceptores ament. Nam et disciplinam amari indicio est: nec minor ad omnẽ probitatem habenda de hiis spes est: qui sunt natura benigni: ac facile placabiles. Est enim in aĩo simile quiddam: quod et in corporibus. Nam ut in his significatio est bone nat̃e: nullo cibo abhorrere stomachum: sed quidq̄d ĩgeritur facile admittere: et in alimentũ conflare membrorum: ita et neminem odisse: aut aspernari. sed quidq̄d dicat̃: fiat ue: in meliorem partem habere oĩa. bene ab ipsa natura constituti animi est. At multa sumi in hunc modũ a maioribus argumẽta possunt: quod uero ad corporis habitudinẽ attinet molles carne: aptos esse mẽte Aristotiles scripsit. De reliq̄s consulendi erunt: q̄ per phisonomiam dep̄hẽdi posse uniuscuiusq̧ natiuosq̧ mores profitentur. quam nos rationem totã hic relinquamus. Dignosci autem plerumq̧ ut diximus ex indole potest adolescentibus nobis: q̄les uiri futuri sumus. Nam ut ab inicio quidem etatis

profert in quibusdam. Nam probitatis future signa ueluti flosculos: unde bone indolis dici mus: qui effigie ipsa oris. et gestu: ceterisq; actibus spem de se bonã polliceri uidētur. Qui- bus ut turpe est: expectationē hominum fallere ita laudi hiis datur qui sine ulla significatione probi tamē euaserunt. imitati pomorũ quoddã genus: que sub turpi et aspero cortice suauem asseruant saporem. Hinc bene precipiebatur a Socrate: ut adolescentes in speculo suã imaginē crebro contēplarent: ea scilicet ratione: quibus inesset speciei dignitas: uiciis illam non demon- strarēt: Qui uero deformiori specie uiderent: formosos se ex uirtutibus reddere curarēt. ma- gis id autem consequi fortasse poterunt: si non tam suã speciem q̃ alienos probati homīs mores et uiuum speculum intuebuntur. Nam et si. P: Scipio et. Q. Fabius. quod omnibus fere gene rosis mentibus usu euenit illustrium uirorũ con templandis imaginibus excitari magnopere di cebāt. que res Iulium quoq; cesarē: uia magni Alexandri imagine: ad summam rerũ accendit: quid consentaneũ est euenire: cum ipsam uiuã effigiem et adhuc spirans exemplũ intueri licet Quamq̃ imagines fortasse maiorum: magis ad

emulationem glorie animos excitant. Preterea quod hominis presentia minuere plerumque gloriã solet. et uiuentes comitari consueuit inuidia ad exemplum certe uirtutis: ac morum: et ad omnẽ doctrinã. ut uiua uox: ita et uiui homĩs mores plus ualent. Debet igitur studiosus adolescens: quẽ uirtutis uereque glorie desiderium concitat: unum aliquẽ pluresue: quos uideatur diligere probatissimos uiros: quorũ uitã ac mores quã-tum per etatem licebit imitetũ. Illis aũt ceterisque natu maioribus: cum omni tempore habenda sit grauitatis: modestieque ratio: tum uero maxime coram iunioribus custodienda est. Iuuenum.n. etas prona est ad peccandum. ac nisi maiorum exẽplis: auctoritateque contineatur: facile semp in deteriora prolabitur. Et quoniam insunt eis ex etate mores: quod et reliquis quoque etatibus accidit: ex eis qui boni sunt: usu pceptisque con-firmandi sunt: et adiuuandi. qui uero mali et il laudabiles: corrigendi: quorum quidã naturam sequuntur tantũ. quidam uero experientie de-fectum. alii uero utrumque. Sunt. n. natura largi ac liberales: propterea quod non sunt experti indi-gentias: neque opes eis labore pprio quesite sunt Non enim solet fieri: ut temere discipet: qui cũ

labore congregauit. simul et quia superabundat in eis calor ac sanguis: non modo in nutrimentum corporis: sed et augmentum etiam: quod contra fit in senibus: contraria id efficiente ratione. Quem igitur speremus futurum senem: qui sit in adolescentia tenax atque auarus: non quidem quo permittende sint eis largitiones: quas exercere cum discretione munerum: personarum: meritorumque nesciunt: sed corrupte nature: atque illiberalis ingenii sit iudicium. Hii igitur ad questuosas artes faciunt: aut manuale opus: aut negociationem: & ad curam rei familiaris precipue: qui et si nobiliores quandoque fuerint artes assecuti: illas tamen ut cetera ad ignobilem questum redigunt. que quidem res est ab ingenuis mentibus prorsus aliena. Deinde sunt bone spei: multaque ac magna sibi facile promittunt: ac pre ceteris longeuam etatem: ut quibus exuberat naturalis calor: tanquam ad omne tempus suffecturus: ac propter hec magnanimi sunt: et alti cordis: quoniam ea est uis calidi: ut sursum ferat: et iuxta Flaccum suis monitoribus asperi et contumeliosi: aliis seipsos efferentes: appetunt enim excedere: propter quod uolentes uideri multa nosse: faciles sunt operta reuelare: et seipsos iactantes: plerumque mendaces inueni-

untur. Simul et quia inexperti sunt: existimãtes uera dicere: in pluribus falluntur. Ab hac autẽ mentiendi uanitate deterrẽdi sunt: maxime primum ꝙ assueti in iuuentute mentiri: morẽ hũc uiri seruant. quo nichil est turpius. Deinde ꝙ prope nichil eque maiores offendat. q̃ mẽdatia adolescentiũ: qui studeant pridie nati senes fallaciis circumuenire. Proderit aũt et si admoneantur parum loqui: et raro nisi iussos dicere. In multo namq; sermone est aliquid semper quod reprehendi possit. quod si in altro peccandũ est: multo sane tutius est. tacere q̃ loqui. Nam qui intempestiue tacet: hoc unum peccat: ꝙ tacet. loquẽdo aũt in multis errare contingit. Prouidendum est etiam: ne fedis atq; inhonestis sermonibus assuescãt. Nã ut ẽ a greco poeta dictũ et ab apostolo Paulo repetitum. Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Secundũ aũt superiorem rationem: quoniã sunt excellẽtie cupidi sunt et uerecundi: quoniã inhonorari metuũt: et castigationis parentum: magistriq; ex recẽti meminerunt. simul et quoniam inexperti sunt: facile se posse refelli arbitrantur. Sunt item creduli nimis: ex defectu namq; experientie rerũ: uera credunt esse quecumq; audiunt: atq; etiam

de facili opiniones mutant: quoniā sunt eorum humores in motu propter augmentū corporis: et abundat calor: qui maxime ad motiones facit Anima uero complexionem sequitur corporis. ideoq; ut facile carentes concupiscunt. passiones uero suas maxīe consequuntur. & omnia faciūt ualde. quoniam concupiscentias habent acutas: quas calor incitat. neq; uigēt ratione et prudē-tia: que illas moderari possint. Ego uero iuxta Terentianum Sosiam non īiuria id arbitror ap prime in uita esse utile: ut comode fiant omnia: ac nequid nimis. Sunt quoq; misertiui nec ma-ligni moris: quoniam ab generatione proximi sunt. benignum habētes sanguinem: ceterosq; ex se existimant: ꝗ pauca commiserunt. Quāobrē eos credunt iniuste pati. maxime uero gaudent amiciciis: et soliditates amāt: quas pleriq; eadē die et ineūt et dirimunt. Iuxta igit̄ has animad-uersiones: erit adhibenda doctrina: et boni qdē mores addiscendi: mali uero aut minuendi: aut prorsus eradicandi erunt. et de cura quidem iuuenum: cum plurimum domestice discipline permissum sit: nonnulla tamen solent legibus diffiniri: debent autem ut fere dixerim omnia. Nā et publice interest iuuentutē in ciuitatibus

moratam esse: et si fuerint adolescentes recte instituti: erit id quidem utile ciuitatibus: et ipsis bonum: maxime ut specialius dicamus: ab hiis peccatis prohibendi sunt: in que natura ab ipsa etate deducũtur. habent enim etates sua quedã uicia. Adolescentia libidinibus extuat. Etas media ambitione iactat᷑. Senectus cupiditate: auariciaqꝫ consumit᷑. non quo omnis ita habet: sed ꝙ in hec uicia ex etate proniores sunt homines. Curãdum est igitur: ut iuuenes q̃ maxime diu integriqꝫ seruentur. in matura namqꝫ uenus et animi et corporis uires eneruat: ꝙ non erit: si a choreis: ceterisqꝫ huiusmodi ludis: et idem ab omni muliebri frequentia arceantur. Aut si de hiis rebus nichil loquantur aut audiant. nam cũ ipsi per se etatis feruore rapiant᷑. nulla erit spes reliqua: si malignus quoqꝫ consilio comes accesserit: precipue uero si nunq̃ erunt ipsi ociosi: sed semper in aliquo honesto mẽbrorum aut animi labore detineantur. Ocium enim ad libidinem: & ad omnem ĩtemperantiã pronos efficit. Itaqꝫ adolescentes nimia sospitate laborantes: multo conueniet labore sanari. Nec uero hiis ocium tantum: sed et solitudo quoqꝫ uehementer est inimica: que infirmũ aĩm assidua taliũ cogitatõe

rerum demulcet: nec alio diuerti sinit. Vt enim qui desperatione tenentur: solitudini minime credēdi sunt: ita et quibus uoluptate deuinctus est animus. Itaq; et ab omni feditate: ac nephari turpitudine et ꝓhibendi sunt: et magnopere custodiēdi. nec nisi hiis cōmittēdi: quoꝝ mores et uita oīs perfecta sit: quorūq; non iā exemplo peccēt: sed auctoritate deterreant̄. Queadmodū .n. teneris arborū uirgulis stipites alligātur: ne aut propria mole: aut ui ulla uentorum deflecti possint: ita et iuuenibus adhibenda sunt comites quorū monitis discant: et conscientia retrahant̄: et imitatione proficiant. Continendi sunt preterea: etiā ne in aliis que sunt circa uitā immoderatiores fiāt. Nam superfluus cibus et potus: et somni abundantiores ex consuetudine magis sunt. non quo uariis habitudinibus corporum plus: minusue deberi ex hiis rebus negem. sed in omnibus hominibus natura paucis adiumentis contenta sit. si necessitatem spectamus: si uoluptatem: nichil possit illi uideri satis. A uino uero in ea etate maxime sunt arcendi: cuius nimius usus et ualitudini bone inimicus est: et recte rationis usum magnopere perturbat. Qua in re. nequaq̄ michi uidet̄ īprobāda Lacedemonioꝝ

ratio: qui ebrios exhiberi in conuiuiis suis cu-
rabant: non quidem ut eorũ insulsis sermonibus
aut fedis actibus delectarentur. nam inhumana
uoluptas est damno hominis et uitio delectari
hominem: sed ut adolescentibus suis exemplo
ostenderent: q̃ etiam turpe temulentum uideri
Sunt igitur ut ab animis teneris assuescant: ita.
potandi pueri: ut illis aqua magis temperetur:
q̃ limphetur uinũ: et tam sobrie qdem et raro.
ut magis ad emolliendũ cibum: q̃ ad minuendã
sitim potus datus uideatur. Neq; enĩ decet: q
non modo ad uirtutem: sed bonam quoq; uali-
tudinem pertinet: uentrem cibo potuue metiri:
aut hibernis noctibus somnos equare: aut uo-
luptatibus modum satietatemq; prefinire: sed
ratione moderari omnia: et ita assuefieri: ut iu-
ueniles impetus refrenare possumus: arbitrariq;
non omne quod per potentiam uel occasionem
facere liceat: decere ut faciamus. Ante oĩa uero
decet bene institutum adolescentem rei diuine
curã respectumq; non negligere: eaq; opinione
imbui ab ĩeunte etate. Nam quid erit illi inter
homines sanctum: cui diuinitas despecta sit: nec
uero usq; ad aniles decet superstitões prouehi:
q ĩ ea etate damnari plurimũ solet: & irrisioni

patere: sed ad certū modū. quamq̄ quis modus in ea re adhiberi potest. precipue uero quod in omni etate abhomīabile est non execrare diui-na: neq; sacra nomīa irrisioni habere. nec sponte facile iurare. Nā qui temere iurant: crebro de-ierare consueuerūt. proxime autem senioribus ac maioribus natu plurimū reuerentie adhiberi conuenit: eosq; prope parentū loco existimare in quo erat romana iuuentus uetusto more pre clare instituta: q̄ senatores: quos patres appella bant. qua die habebatur senatus: deducebant in curiā ibiq; assidue pre foribus aderāt. dimissoq; senatu reducebāt frequentes domum. que nimi-rumq; erant constantie: patientieq; in prouecti-ori etate prestande. Qui uero iuuenes libenter senibus hereant: nec uero ab hiis facile discedāt: a quibus ꝓficere possunt: non hii temere uidenẗ uelle etatem uirtute preuenire instituendi sunt. Preterea: quo pacto deceat admittere ueniētes: quo abeuntes dimittere: ut oporteat uerecunde salutare maiores: minores humaniter colligere: amicos beniuolosq; familiariter conuenire. que cum omnibus apte sedeant: tum uero in princi-pibus: et eorum liberis speciosa uidentur: et no-tantur in hiis maxime: in quorū moribus atq;

uita omni facilitas quidem amari solet: grauitas uero laudari. utrobiq; tamen uerendū est: neue hec in agrestem seueritatem: aut illa inscurilem leuitatem exeat. Hec omnia itaq; consequi poterunt: si se facile quisq; argui: moneriq; patiatr. que ratio ī omni etate: et causa atq; conditione salutaris est. Nā ut obiecto speculo faciei nostre mēdas cognoscimus: ita et castigātibus amicis errores perpendimus animi: qui proximus est ad emendationem locus. hii autem facillime deceptioni patent q nichil audire possunt quod contristet. Imbecillis est enī stomachi ferre non posse nisi delicata. Decet itaq; et maledicentes pati posse: et obiurgantes audire. Nam qui se non patitur presentem argui: non facile solet cū est absens defendi. Verum eos maxime: qui sublimiori sunt fortuna et ī quorū manibus urbiū populorumq; uis est: decet non modo facile: sed etiam libenter bene monentes audire: quanto & ipsi per multam licentiā proniores sunt ad peccandum: et eorum peccata obesse pluribus solēt: et eo quidem magis curandum: q pauci sunt: q dicere eis quod uērum dicensq; sit audeant: paupciores: qui uelint audire. Nam qui uerum uult audire facile inuenit: a quo audiat. itaq; mirum

uideri potest: si sit quispiam bonus aut sapiens in presenti statu: ac magnis fortunis natus: nec aduersum casum unq̄ expertus. et si quis sit huiusmodi: hunc pro quodam quasi terreno deo amandū colendumq; existimo. quippe cū inter affluentiam rerum: ad omnes uoluptates suppetentium: & facultatem assequendi quecunq; cupierint: et adulatorum ingentem copiā: q solent ex stultis insanos facere: uix recto iudicio ac rationi uacat uspiam locus: id Plato pulchre sentiebat: et comode paucis uerbis significauit. quē nos locum hunc ad uerbum ex gorgia transferamus. Difficile est enī inquit et plurimum laude dignum. in magna peccādi licentia iuste uixisse sed nimia quoq; parentum indulgentia emollire atq; eneruare adolescentes consueuit. quod plerumq; manifestum est: qui sub uiduis matribus per delicias sunt enutriti. Placet igitur que est apud quasdā gentes consuetudo: ut liberos suos aut extra ciuitatē: aut apud cognatos suos amicosuē educari uelint. quos et si plerumq; indulgentiores inuenerint: hoc ipm tamē: q̄ in aliena domo se uincere intelligunt: solutiorē illis licentiam adimit: et melioribus studiis que liberalia dicuntur intentiores reddit. de qbus tempus est

iam nos dicere. Liberalia igitur studia uocamus que libero homine digna: ea sunt quibus uirtus et sapiētia aut exercetur: aut queritur. quibusq; corpus: aut animus ad optima queq; disponit. unde honor et gloria homībus queri solet: que sunt sapienti prima post uirtutem ꝓposita premia. Nam ut illiberalibus ingeniis lucrū et uoluptas pro fine statuitur. ita ingenuis uirtus et gloria. Oportet igitur a prima infantia hiis intendere: et ad sapientiam omni studio conari. Nam si nulla est priuatarum artium: et earum que minus acuminis exigunt: quam excellenter quis assequi possit: nisi ab teneris annis illi incubuerit. Quid de sapientia iudicabimus: que tam multis magnisq; rebus constat: et in qua arte totius uite precepta rationesq; continentur. Non enim erimus profecto: quoniam sapientes et haberi: et esse uolumus. Non erimus inquam in senectute sapientes: nisi iuuenes primum bene sapere ceperimus. nec uero suscipiēdū est: quod omnibus pene uulgo est usurpatū. ut existimemus eos: qui supra etatem recte sapiāt: maiores factos desipere aliquando solere. Quamq̄ et in quibusdā non abhorreāt a phisica ratione: qbus cum in puberibus sensus uigeant crescente post

modum etate marcescunt. quo in genere recte est senex quidã ab adolescente confutatus. obscurum est. n. utriusq; nomen cum. n. preter etatẽ prudẽs probusq; haberetur: seniq; ad miraculũ illi ostenderẽt erit igit̃ in senectute demens: qui sit in adolescentia tam sapiens. et ita quidẽ uoce sublata: ut adolescens audiret: ille uero innati acuminis non oblitus: atq; in eum protinus conuersus. Tu ergo inquit preclare: in adolescẽtia sapiens extitisti: fuisq; illũ ut aiunt armis confodit. Et est q̃dem ex natura in plerisq; iuuenibus tanta ingenii celebritas ad intelligendum & ad inuestigandum tantũ acumen: ut uel sine multa doctrina: de rebus maximis loqui possint: sentẽtiasq; dicere grauissimas: quorum ingenita uis si eruditione corroboretur: iuuetur q; disciplina summos uiros ea res parere solet. ut igitur hii diligenter curandi sunt: ita non negligendi: qui mediocri ualent ingenio quinimo uel hoc potius iuuandi: q̃ sit in eis uis nature defectior. Omnis tamen a pueritia studiis laboribusq; mancipandi: dum faciles animi iuuenum: dum mobilis etas: ut est Maronis uersus. atq; eo magis insistendum: nisi fortassis turpius est aliquando discere: q̃ nescire: quod contra iudicauit. Cato

ille portie familie princeps: qui litteras grecas prope senex certe didicit. nec credidit seni turpe discere: quod esset homini scire pulchrū Socrates etiā tantus philosophus iam etate ꝓuecta fidibus operam dedit: digitosq; suos magistro infortunandos commisit. cum nostros interea iuuenes pudeat sub magistro esse: qui tamē iudicio ꝓprio minīe committendi sunt. sed uariis artibus ad bona rectaq; studia sunt inducendi. Nā alii quidem laude: et per spem honoris. alii munusculis blandiciisq; alliciendi: minis alii flagrisq; cogendi erunt. atq; hec qdem oīa ita rite pensanda: rationeq; moderanda erunt: ut in eodem ingenio uicissim hiis artibus preceptores utantur. et cauendū: ut neq; nimium illis faciles: neq; nimium seueri sint. Nā sicut nimia licētia bonā indolem soluit. ita grauis et assidua castigatio ingenii uim eneruat: natureq; igniculos in pueris extinguit. qui dum timēt oīa audere nichil possunt. fitq; ut pene semper errent: dum in singulis rebus errare se timent. maxīe uero in qbus superabūdat nigra colera laxius continēdi sunt: eosq; plurīm suo arbitrio pmitti conuēiet: & libertati iocisq; oblectari. ī quo genere complexionis non oēs quod Aristotiles uoluit: sed

plurimi certe ingenioſorũ ſunt. Verũ euenit: ut pleriq; ingenio liberali prediti. dũ recta ſtudia ſequi contendunt: aut manu iniecta reuocantur: aut quibuſdam oppoſitis quaſi repagulis ĩ ipſo curſu ſubſiſtere coguntur: aut alio diuertũtur. Plurimis. n. anguſtia rei familiaris ĩpedimẽto fuit: que liberum aĩm et ad mores natũ queſtui coegit ĩſeruire. tã etſi per extremas difficultates generoſa nat̃a ſolet in altũ emergere: et magis ꝓfuſa rerum copia: q̃ ſumma inopia bonis ingeniis nocere conſueuit: cũ de hiis non ſine indignatione dici ſoleat. O q̃ magnus hic erat futuruſ uir. ſi ĩ minoribus eſſet fortunis natuſ: quibuſdã uero parentũ imperium: et ab infantia ſuſcepta conſuetudo obſtitit. Nã et ꝙ maioribus nobis conſuetũ eſt: facile id maiores facti ſeq; ſolemuſ: et pueri libenter parentũ ſtudiis quibus innati atq; innutriti ſunt: dari ſe patiuntur. Sed et id quod eſt in ciuitatibus plurimũ conſuetũ ſequimur. tanq̃ ſit optĩm factu: ꝙ et ceteri ꝓbant et faciunt. ergo difficillima oĩm eſt ea deliberatio nam aut libera non eſt. aut ad eã non niſi falſis opinionibus ĩbuti ex mala conſuetudine. et hominũ peruerſo ſermone uenimuſ. Datũ eſt tamẽ q̃buſdã munere dei ſingulari: ut ipſi per ſe rectã

uiam sine ullo duce et inire et tenere potuerit. Paucis illis quidem et quos equus ut ait poeta Iupiter amauit. aut etiã genuit. ut fabulis quoqꝫ etiã aliqd demus. q̃lem in primis Herculẽ acce-pimus: et quod greci tradũt et latini eos memi-nerũt. Hic. n. cũ duas cerneret uias: unã uirtutis alterã uoluptatis: forte id etatis: quãdo de tota uita deliberatio sumẽda ẽ: in solitudinẽ recessit: ibiqꝫ multũ ac diu secum cogitans ut est ea etas ĩbecilli iudicio consilioqꝫ uirtutem tãdẽ reiecta uoluptate complexus ẽ. Vnde si per multos ac graues labores opinione hoĩm iter in celum sibi extruxit. ita igitur ille nobiscum aut bene agẽt: si preceptis manuqꝫ deducimur: ut probi simus. aut si ui esset: necessitateqꝫ ad id cogamur. Est enim felix necessitas que cogit ad bonũ. quanq̃ et tibi Vbertine uideo ĩ partem contigisse. Cũ. n. sint ex studiis atqꝫ artibus homĩm precipue que et ad excolendã uirtutem: et ad parandam gloriã. maxĩe sunt affines: armorum scilicet et lrãrum disciplina: liceretqꝫ tibi per parentis in-dulgẽtiam solam militarem que uestre familie proprie peculiaris est ꝓsequi. tu utramqꝫ ita es et industria et studio tenaciter complexus: ut equalibus tuis longo interuallo post habitis: cũ

maioribus quoq; certare ĩ utroq; laudis genere possis. probe igitur facis. qui et militarẽ disci-plinã: in qua tui maiores excelluerũt: ad veterẽ hanc domesticam gloriã: nouam etiã litterarũ laudem adiicere temptasti. neq;. n. eos imitari studes: est aũt horum nostris tẽporibus turba ingens: qui sibi opinionẽ doctrine ut dedecus abhorrent. haud Licinii quondam imperatoris sentẽtiam probans: qui litteras uirus ac pestem publicam appellabat. multo magis. quod ille ait beatas fore respublicas. si uel studiosi eas sapiẽtie regerent: uel earũ rectores sapientie studere contigisset. Et quidem quod uerum est lrãrum disciplĩe neq; dementiã adimunt: neq; malignitatem: quin magis ut eos qui ad uirtutem et sapientiã nati sunt: magnope adiuuat: ita persepe sunt aut indicia stulticie detegende: aut instrumenta perniciosioris iniurie. Nam et Claudiũ ne a romãis principibus discedamus: sane doctũ accepimus: et Neronem eius priuignum: atq; in principatu successorem: eruditum in primis fuisse constat. Quorum primus insignis uecordie fuit: alter crudelitate: atq; omnibus flagitiis contaminatus. qui tamen sub obtentu clemẽtie dixit: aliquando optare se litteras nesciisse:

quod et optandū sibi pfecto fuerat: si modo non alia ratione: q̄ lrārum ignarus esse clemēs potu-isset. Sed opinor eū si et lrās quoq̧ que male se habebāt eiicere sibi licuisset: tā mature ac libēter facturū fuisse: q̄ illā simulatā ad tempus exui: ne cui uirtutū aut bonarum artium reliquus in se locus esset. Contra uero Iacobus de carraria pauus tuus et prudens uir et princeps magnanimus: ipse quidē non magnopere doctus: mirum tamen īmodū doctos coluit: ut id unum fortune sue defuisse iudicaret: q̧ non esset q̄tum modestum hominem optare liceat eruditus. Et in senectute qdem optare licet. consequi uero non facile: nisi ab inicio etatis studio laboreq̧ nobis doctrinam parauerimus. Paranda sunt igitur in iuuentute solatia: que honestā senectutē possunt oblectare. Nā que sunt iuuentuti laboriosa studia: ea erunt iocunda ocia senectuti. et sunt in hac re magna presidia: siue contra languidum torporē remedia querimus: siue sollicitis occupationibus solatium. Nam cum duo sint genera liberalis uite: unum quod totum in otio ac speculatione est. alterū quod in actione negocioq̧ consistit. In priore quidem q̄ sit necessaria condicio usuſq̧ lrārum neminem existimādum est

latere. In posteriore uero q̄ sit utile: facile hinc dignosci potest. Nam qui ad res gerendas aīm applicat: omitto q̄tum et preceptis illorum qui scripserunt. et eorū exemplis de quibus scribit idoniores fieri possunt. sed siue remp. administrent: siue foris in bello: aut domi in suis amicorūq; negociis uersentur: non habēt fatigati qua alia in re iocundius acquiescere ualeant. cū etiā incidāt tempora et hore: in qbus ab huiusmodi rebus uacare necesse est. Nā et a rep. sepe īuiti prohibemur et non semper gerunt bella: et singuli dies noctesq; aliqd habent: quo domi continer: et esse seorsum oportet. In hoc igit tēpus cū nil nobis per otium agere foris licebit: lectio librīq; succurrent nisi prorsus somno indulgere aut inerti otio tabescere uolemus: aut morē imitari Domiciāi principis q singulis diebus: certis horis secretus ab homībus stilo ferreo muscas insectabatur. Fuit hic quidem Vespasiani filius Titi uero minor natu frater: utriq; pfecto longe impar: imo uero tanto oīm deterrimus: q̄to Titus probissimus est oīm habitus: quē historie delicias humāi generis appellauere. Itaq; & eius memoria tam celebris est: q̄ illius execrabilis. Libero etenim iudicio de rebus uitaq; hominū

posteritas utitur: que nec uituperare ĩprobos uetuit: nec laudes inuidet bene meritis. Quaqdẽ in re magna est ut uidemus prerogatiua prin-cipibus: imo uero ꝓpe dixerĩ necessitas ꝓposita bene gerendarum rerũ: si iudiciũ hoĩm et firme apud posteros eternitatem spectare uelint. Nã in ceteris quidẽ humilioribus magna ui et uir-tute opus est: ut in lucem emergant: et eorum peccata sue sortis obscuritate teguntur. In prin-cipibus uero et magnis uiris ꝓbitas: siue ꝙ rara sit ĩ multa fortuna: ac ꝓpterea magis admirati-oni habetur: siue ꝙ ex splendore fortune magis illustretᷣ ea uel si modica ẽ: preclara atq; insignis habetur. Malefacta aũt: nec latere q̃uis secreta possunt: nec cognita diu taceri. Illi. n. ipsi qui aut ministri sunt uoluptatũ: aut socii criminũ: conscii q; factorũ efferũt. et primi damnãt. Quo in genere eius ipsius Domiciani dementiã e cu-bicularriis unus urbano scemate notauit. aliquã-do. n. ĩterrogatus: esset ne quisq̃ cũ Domicião intus: respondit: ne musca quidẽ: quasi studio suo omẽs sustulisset. huic eius occupationi tam indecore uenia forte posset indulgeri: si modo constaret qd per hiemem solus agere consueuis-set. aut si non maiore odio ex tetris facinoribus

q̃ ex hoc aucupio tam fedo irrisione se dignum pbuisset. Nã quod Scipio de se dicere solebat: nunq̃ minus solũ. aut ociosum esse. q̃ cũ ociosus aut solus uideret̃. sed id non facile cuiq; potest contĩgere. sed solis magnis ingeniis atq; excellenti uirtute preditis. tam et si nichilo michi ui detur minor: qui contra et ĩ turba solitudinem seruare põt: et in negotio quietẽ. quod de Catone quidem scriptum est: qui interea: dum senatus cogeret̃ lectitare in curia libros frequens solebat: unde nimirum et in presentem rem: et in omne tẽpus saluberrime patrie consilia dicta bat. Quod si preterea: nullus ex lrãrum studiis fructus haberetur: qui utiq; et plurimi sunt: & maximi: tamẽ habunde magni uideri debet res momenti: q̃ ĩterea dum attente legimus a plerisq; auocamur. que non possemus. aut sine turpitudine cogitare: aut reminisci sine modestia. Nam si qd est aut in nobis ipsis: aut in fortuna nostra: quod nos offendat. hac facile ratione leuamur. preter id quod mirabiles uoluptates in aĩs hoĩm doctrinarũ studia pariũt: et uberrĩos afferunt in tempore fructus: si quãdo in bonam mentẽ et ei culture idoneã tale semen inciderit. Ergo cũ soli sumus: ab omnibus et ceteris curis

uacui: qd agere melius possumus: q̄ libros conuenire: ubi sunt omnia amenissima ad cognoscēdum: uel ad bene sancteq̧ uiuendum efficacissima: nam cum ad cetera quidem plurimū ualēt: tum uero maxīe ad saluandū uetustatis mēoriā necessaria sunt monumenta lrārum. quibus res hoīm geste: fortune euentus insperati: nature insolita opera: et super hiis oībus rationes temporum continētur. Memoria. n. hoīm & quod transmittitur per manus sensim elabitur: & uix unius hominis euum exsuperat. quod aūt libris bene mandatū est perpetuo manet: nisi pictura forsitan: aut incisio marmorū: aut fusio metallorum potest tale quiddā presentare. uerū ea que nec signāt tempora: nec facile ueritatē inducūt motionū: sed exteriorē tantū habitū exprimūt: ac labefactari facile possunt. Quod autē litteris tradit̄: non modo hec que dicta sunt: sed et sermones quoq̧ notat. et cogitans hoīm effingit: ac si pluribus exemplariis uulgatū est: non facile potest interire: si modo et dignitas accedat orationi. Nam que sine dignitate scribuntur: ea nec sortiunt̄ fidem: nec subsistere diu possunt. Que igitur potest esse uita iocūdior: aut certe commodior: q̄ legere semper: aut scribere: &

nouos qdem existētes res antiquas cognoscere: presentes uero cū posteris loqui. atq; ita omne tempus quod et preteritū est et futurū nostrū facere. O preclaram suppellectilem. librorū inq̃ ut nos et o iocundā familiā. ut recte Cicero appellat: utiq; et frugi: et bene morigerā: non enim obstrepit. non clamat. non ē rapax nō uorax: nō contumax iussi loquunt̄: & itē iussi tacent. semperq; ad omne imperium presto sunt: a quibus nichil unq̃: nisi quod uelis: et q̃tum uelis audias Eos igit̄ quoniam nostra memoria non est oīm capax: ac paucorū quidem tenax. et uix singula sufficit: secūdo mēorie loco habēdos asseruādosq; censeo. Nam sunt litere quidem ac libri certarū rerum memoria: et scibiliū oīm coīs apotheca. Idq; curare debemus: ut quos a prioribus accepimus si nichil ex nobis gignere forte possumus integros atq; incorruptos posteritati trāsmittamus: eoq; pacto: ut hiis qui post nos futuri sunt utiliter consulemus: et hiis qui preterierūt: uel uerā hāc suorū laborū laudem atq; mercedē rerepensabimus. in quo forsitan iuste possumus quoddā seculū: ꝓximasq; supiores etates accusare: indignari qdem licet: ꝓficere aūt nichil: q; tā multa illustriū uirorū p̄clara opera deperisse

passi sunt: & quorundã qdem nomĩa sola summis cum laudibus ornata: aliorũ etiã pars uigiliarũ et fragmẽta quedã operũ ad nos peruenerunt. Vnde fit: ut ex splendore laudum ac nois opera desideremus illorũ: horũ uero reliquos labores deperisse ĩdignemur ex earum rerũ que adhuc manent excellentia ac dignitate. tam et si ea ipsa in plerisq; partiũ suarum uiciose corrupta: quedam etiã intercisa ac mutilata susceperimus: ut pene melius fuerit ex hiis nichil ad nos peruenisse. Sed ĩ hac iactura que maxĩa est. non debet id minimum uideri: q plurĩas res nostras atq; italica facta cognitione dignissima ꝑ magna pte nos latere contingit. quorum noticia simul cum libris ac monumentis eorũ periit. Sicq; qui barbarorum res gestas ignouimus: pleraq; ex nrĩs casu librorũ ignoramus: et in eo deuentum est: ut latine quoq; historie et cognitionem & fidẽ a grecis auctoribus exigamus: plurĩa nanq; talium que apud nos sunt: aut anguste perscripta: aut prorsus incognita late apud eos diffusa reperiunt. Quanq ea ipsa greca oratio. que nrĩs maioribus esse quondã domestica ac perfamiliaris solebat: apud suos pene interiit: apud nos uero prorsus extincta est. nisi pauci qdã qui hac

etate illi incubuerūt: e sepulcro in lucē reuocēt. Sed redeo ad historiā: cuius eo grauior iactura est: quo eius rei cognitio utilior ē: et iocūdior. Nam liberalibus quidē ingeniis et hiis qui in publicis rebus et hoīm coītate uersari debent: conueniētiora sunt historie noticia: et moralis philosophie studia: cetere qdem artiū liberales dicunt. quia liberos hoīes deceat. Philosophia idcirco est liberalis: qa eius studiū liberos hoīes efficit. In horū altero precepta qd sequi: quidue fugere conueniat inuēimus. In illa. n. hoīm oīm officia reperiunt: et quid quēqз deceat. In hac uero quid factū dictūue sit: suisqз temporibus adiiciendū est: nisi fallor et terciū. id est eloquētia: que ciuilis scientie quedā pars est. per philosophiā siqdē possumus recte sentire quid est ī omni re primū. per eloquentiā grauiter ornateqз dicere: qua re una maxīe conciliant multitudinis animi: per historiā uero in utrunqз iuuamur. nā si senes idcirco prudētiores iudicamus: eosqз libenter audimus: ꝙ per lōgam uitā et in se multa experti sunt et in aliis pleraqз uiderūt: atqз audierunt. Quid de hiis est iudicandum: qui multorū seculorum res cognitu dignas memoriter norūt: et ad oēm casum ꝓferre aliquod

exēplum illustre possunt. ex quibus id efficit̄: quod summi uiri est: et oīo excellentis ingenii: et ut optime quis dicere possit: ut studeat q̄ optime facere. Erāt aūt quatuor. que pueros suos greci docere cōsueuerunt: lr̄as: luctatiuā: musicā: et designatiuā: quā pertractiuam appellāt. De luctatiua et musica postea dicetur. Designatiua uero nunc non est in usu: pro liberali: nisi q̄tū ad scripturā attinet. Scribere nāq₃ et ip̄m ꝑtrahere ac designare est. quo ad reliq̄ uero penes pictores resedit. erat aūt non solū utile: sed honestū quoq₃ huiusmōi negotiū apud eos. ut Aristotiles inq̄t. Nā et in emptionibus uasorū: tabularūq₃: ac statuarū: q̄bus maxīe grecia delectata est: succurrebat. n. ne facile decipi p̄cio possent: & plurīm cōferebat ad comprehēdendā reꝝ que nature constāt pulchritudinē ac uenustatem: de quibus pertinet ad magnos uiros loq̄ īter se & iudicare posse. lr̄arum uero semper est magnus fructus. et ad omnē uitam: et ad omne hoīm genus: precipue uero studiosis earum: ut ad accipiendā doctrinā: ita et ad confirmādum eius habitū: remouendāq₃ ipsorū lapsorū memoriā. ante omīa igit̄ si quid ꝑficere de doctrinis uelimus: congrui sermonis habenda ratio est: et

curandū. ne dum maiora ꝑsequimur: turpiter ī minoribus labi uideamur. Proxīe huic generi disputādi ratio adhibēda ē. per quā in unaquaqꝫ re: quid uerū falsumue sit: facile argumentando querimus: ea cum sit discendi scientia: sciendiqꝫ disciplina: ad omne doctrinarū genus uiā facile aperit. Rethorica uero tertia est: inter rationales disciplinas: per quā artificiosa queritur eloquētia: quā et tertiā posuimus inter precipuas ciuilitatis partes. Verū cū nobiliū hoīm studiis celebrari olim consueuisset: nūc pene prorsus aboleuit. Nam a iudiciis quidē eiecta penitus ē. ubi non perpetua oratione: sed dialetico: īuicē sermone adductis in causam legibus contendit̄. In quo genere pleriqꝫ quondā ex romanis adolescētibus magnā gloriā sunt assecuti. aut defendendis sontibus reis: aut in defendendis īsontibus. In deliberatiuo uero genere iā apud principes et rerū domīos nullus est ei locus: quoniā paucis expediri uerbis sententiā uolūt: et nudas afferri in consiliū rationes. In populis uero: qui uel sine arte copiose dicere possunt: clari habēt̄. Demonstratiuū genus restat quod ut nusq̄ est usu sublatū: ita uix usq̄ ratione inuenit̄. Nam in faciēdis orationibus hiis artibus utunt̄ fere oēs:

que contra artem bene dicendi sunt. que cũ ita sint: elaborandum est tamen: quẽ uolumus esse bene ĩstitutũ: ut in omni genere causarũ ornate copioseqꝫ possit ex arte dicere. Proxĩa uero huic est poetica. cuius studium et si conferre plurĩm & ad uitam et ad orationẽ põt: ad delectationẽ tamen magis uidet̃ esse accomodata. Ars uero musice. nã et ea audientẽ delectat: magno quodam apud grecos honore habebat̃. nec putabat̃ qspiam liberaliter eruditus: nisi phidibus et cãtu sciret. Quamobrẽ Socrates: ut ipse senex didicit ita ingenuos adolescentes in hiis erudiri iussit: non quidẽ ad lasciuie ĩscitamenta: sed ad motus aĩe sub regula: rationeqꝫ moderandos. Vt enim non oĩs uox: sed tantum que bene consonat: ad soni melodiã facit: ita & motus aĩe non omnes: sed qui ratione conueniunt: ad rectã uite armoniam pertinent. Verũ cũ ad remissionẽ animi: & ad sedandas passiones plurĩm ualeat modulatiõis usus tamen eius discipline cognitio digna est ingenio liberali. secundũ quam rõnem speculamur sonorũ uarias naturas: ac potestates: ex quibus inuicẽ ꝓportiõibus cõsonãtias dissonantiasqꝫ causari contingit: quemadmõm et de numeris ratio est: que arismetrica dicta est: et

de magnitudinibus: que geometria est appella-
ta. In qbus uarias relationes parium uel īpariū:
et item linearū superficierū: aut corporū uarie
species numerorū magnitudinūq; constituunt:
multaq; in esse ius ppria demonstrat: que cog-
nicio iocūdissima est: et precipuā certitudinem
cōtinet. Sed et illa pulcherrīa est que de siderū
motibus: magnitudinibus ac distātiis ptractat.
Euocat. n. nos ab hiis tenebris: & crasso aere. et
in superiorē illā lucidissimā domū tot lumībus
distinctā oculos atq; aīm inducit. in quā aspici-
entē iocundū est fixarū stellarū imagīes discer-
nere: et erraticas suis locis ratiōibusq; denotare
earū coniunctiones: et itē solis et lune defectus
ante preuidere: atq; predicere. Maxime uero
scientia de natā intellectui humāo consona atq;
conformis est per quā naturalium reꝝ aīataꝝ
inaīatarūue principia passionesq;: et eorū que
solo et mūdo continent: motuū ac trāsmutatio-
nū causas effectusq; cognoscius: ac multorū qdē
possumus causas reddere: que uulgo miranda
uideri soleāt. que cū oīa iocundū est ītelligere:
tum maxīe negotiari circa eas: que in aere: et
circa terrā sunt impressiones iocundissimū est.
Eque uero et que hiis annexe sunt cognitiones

pulcherrīas īquisitiones hn̄t: ut est perspectiua et de ponderibus tradita ratio Et quoniā quidē dicendo hactenus ꝓuectus sum: reliquas quoq; attingam. Medicina est coguitu pulcherrima: et ad salutē corporū comodissima uerū exercitium habet minime liberale. Legū peritia publice priuatimq; utilis est: & magno ubiq; honori habetur. et ipsa quidem a morali philosophia deriuata est: quēadmodū a naturali medicina: quā ut honestū est aut audiētibus interpretari: aut in iure disceptantibus de iure consultū aperire: ita est indecorum tractātes: causas precio: conuentoq; operā uendicare. Sciētia uero diuīa est de cāis altissimis: et de rebus que sunt semote a sensibus nostris: quas intelligentia tantū attingimus. Principales itaq; disciplīas fere cōnumerauimus oēs: nō quo unicuiq; oēs apprehēdēde necessario sint. ut doctus tandē: aut sit: aut habeat̄. Nam et singule totū sibi hoīem uendicare pn̄t: et utrūq; est urtutis opus: ut mediocrē uitam: ita et mediocrē posse pati doctrinā: sed ut ad quā quisq; aptissimus erit: eam potissime amplectat̄. quanq̄ ita sunt coniuncte doctrine oēs ut nullā qs ignoratis prorsus aliis egregie percipere ualeat. sed īgeniorū diuersa sunt genera:

quedā.n.facile īueniūt in unaquaq; re argumē tum: et mediū: quo suū ppositū inferāt. quedā uero tarda sunt ad īueniendū: uerū solida ad di iudicandū. et priores illi quidē: qbus est īgeniū ad opponendū aptiores sunt: posteriores uero ad respondendū. Item illi ad poeticā faciunt: et rōnales scientias: hii uero ad reales. Sunt aūt & alii ingenio quidem ueloci: lingua uero sermo neq; tardiore: et hii ad cōpositū sermonē: ora cionēq; rethoricā ualere uident̄. In utraq; uero ui prompti: ad dialeticas disputatiōes preclare faciunt. qbus aūt sermo erit uelocior q̄ ingeniū id est lingua qdem sunt prompti: īgenio tardo ad neutrum genus ualent orōnis. Amplius: in quibusdam memorie uis multa uiget: et hii ad cognitionē historiarū ualēt: et ad cōprehēdēda legū uolumīa. in quo scire nos oportet: mēoriā preter ingeniū ualere non multū. Ingeniū uero sine memoria ppe nichil. quantū quidē ad disci plinas attinet: ad agibilia uero contra. ppterea q; mandari scriptis uice memorie acta res agē daq; possit. De doctrinis aūt non uidemur scire quod non memoriter scimus: aut non facile re minisci possumus. Sunt preterea qbus uis ē aīe a sensibilibus et materialibus rebus abstracta: et

separatis atq; uniuersalibus apphēdēdis aptior. Alii cōtra circa pticularia discurrere: et negociari sunt pniores: et hii qdē ad prudentiā: & naturalē scientiā: illi uero ad mathematicas faciūt: & ad diuinā: que methaphisica dicit. Preter hec aūt: cū duplex sit ītellectus: speculatiuus et practicus: ut quisq; secundū alterū potior erit: ita cōuenientia illi studia sequi debebit. Sunt insup limata: et queadmōm ī iure dicunt glebe ascripta quedā ingenia: que cū ceteris imbecillia sunt: & in uno tn̄: aut altero ualent eximie. Ea autem sola sunt illi permittēda: in quibus solis plurīm posse iudicat. Vero Aristotiles quidē uoluit liberalibus scientiis non nimis indulgendum. nec īmorandū esse: ad ciuilē perfectionem hominū: negociosamq; uitā respectans. Nam qui totus speculacioni: et lrārum illecebris dedecus est. is est forsitan sibi ipsi carus: ac certe parum utilis urbi: aut prīceps est: aut priuatus: ac de doctrinis quidem et ingeniis: ac utrorūq; generibus ita uidet diffiniendū. in quibus id est añ omnia aīaduertendū: q non modo precepta: que prouectioribus tradunt: sed et prima quoq; artiū elementa ab optimis preceptoribus accipere cōueniet. & ex auctoribus librorum non quibuslibet

passim īmorandū: sed optimis: qua rōne & Phi lippus rex macedonū lrās ab Aristotile discere Alexandrum uoluit. et ueteres romani liberos suos scole mancipantes: in Virgilio primū eru-diri curabant: optīa utiqꝫ rōne: nā quod teneris mētibus insitū est: alte radices mittit: nec facile postea diuelli ulla ui pōt: Ergo si melioribus in inicio assueuerint illos habebūt ꝑcipuos et ue-luti ducibus semꝑ utenť. Sin uero errores ullos imbiberint: hiis duplici tempore opus erit. Pri mum: ut errores excutiāt: ac deinde: ut ꝑcepta condiscāt. Quamobrem Thimotheus musicus suo tēpore illustris: qui ob implicitas ī cithara cordas: et nouorū modoꝝ adinuentionē sperta iussus est exulare. A discipulis quidē qui nihil apud alios ꝓfecissent: certā paciscebať mercedē: abaliis uero qui ex aliis qppiā didicerāt: duplā exigebat In discēdo aūt solet esse plerisqꝫ impe-dimento: id quod magno adiumento esse debu-erat: multa uidelicet cupiditas discendi. quo fit ut dum oīa pariter cōplecti uolūt: nichil tenere ualeant. ut enī superfluus cibus non nutrit: sed stomachū quidē fastidio afficit: reliquum uero corpus aggrauat atqꝫ infirmat: ita multa rerum copia simul ingesta mēorie: et facile in presenti


elabitur: et in futurũ ĩbecilliorẽ uim eius reddit Semper igitur multa legant discipline studiosi: sed pauca quotidie deligãt: que decoquere eorũ memoria possit. sicq; tria aut quatuor pluraue ut eius uis erit. aut otiũ pro eius diei precipuo lucro seorsum reponant. Alia uero legendo id consequent̃: ut que iam didicerant: meditatione saluent: que uero nondũ quotidie magis famili aria sibi legendo faciant. Huic etiã nimie sciẽdi discendiq; cupiditati cõiuncta solet esse ĩmoderata cupiditas inuestigandi. Cum enim multa de singulis asciscere student: uariis uno tẽpore se ĩuoluũt: et nũc hac nũc illac referunt̃. aut qdẽ nũc unã uiribus totis cõplectunt̃: inde uero ad modicũ: illa reiecta: aliam atq; aliã: que res: non modo inutilis est: sed et uehemẽter iam dãnosa. Nã ut in re est: et ꝓuerbio dicit̃. Acescãt uina que sepius trãsuasant̃. Itaq; ĩmorari uni rei decet: & eam omni studio ꝓsequi: disciplinasq; eo ordine capere: quo sunt a suis actoribus tradite Nam qui inordinate libros legũt: nũc a fine facientes iniciũ: nũc media intelligentes: et quod primũ esse debuerat postremũ accipiũt: hii aũt temere nil aliud legendo proficiũt: q̃ ut omnia neglexisse uideãt̃. De libris autẽ qui sunt eiusdẽ

discipline: ita quidē per multos uersari cōuenit ut meliores semper precipuos habeamus. Nec uero oībus labor suscipiēdus est: sed unicuiqꝫ ꝓ modo rōneqꝫ ingenii sui. Est. n. ut sic dixerim in quibusdā ingenii acies plūbea: in qbusdā uero ferrea. Quibus est plūbea: siquidē et obtusa est paꝝ ad disciplīas ualēt. Quibus uero est īgenii acies ferrea: acuta quidē et mollis: et que facile retūdi possit. hii inter studendū crebris īterpel latiōibus indigēt: q nisi primo impetu penetrēt quo uolunt. q̄to hinc magis intēderint: magis hebescūt. Qui uero ferreū sortiti sunt ingenium siquidē & acutū: hiis nichil impuiū ē: nisi ex eo ꝓrūpere uelint: ubi frangi necessē est. Sin uero obtusum: assiduo tn̄ studio difficultates oēs euincūt. itaqꝫ siquod nō intellexerīt: nō ꝓtinus respuant: quod superborū est. aut quod pusilli animi est desperēt: magis aūt intentōe pseuerēt. sed et id quod perplurīm uerū est: acutiores in genio minus ualere mēoria: et qui celeriter ca piunt: retinēt minus. Ad saluandā igit̄ cōfirmā dāqꝫ mēoriā maxīe affinis est illa Catonis ratio qua uti se dicebat: ut qdqd die egerat: uiderat: legerat: uesperi cōmemoraret: tanq̄ a se diurni negocii rōnem exigens: qui non modo negotii:

ſed & otii quoq; uolebat reddēdā eē rōnem: Ita igitᷣ & nos oīa qdē ſi poſſumus remiſci curabīuſ: ſi minuſ: ea ſaltē que precipua nobis delegimuſ: tenatius complectemur. ꝓderit aūt & de cōibus ſtudiis una cū ſodalibus crebro cōferre. Acuit enī ingeniū diſputatio: linguā erudit: mēoriāq; cōfirmat: ac non mō diſputādo diſcimus: ſed et que ſic diſcimuſ. melius ſcimuſ: aptius eloqmur: et firmius recordamur. ſed & alios quoq; docē-do: que diſcimus: nō paꝝ & ipſi iuuabimur. Optimū nanq; ꝓficiendi genus eſt docere quod didiceriſ. Veꝝ euenit oībus fere diſcētibuſ: ut ſiqd ab inicio bene ꝓfecerint protinus magna ſeſe de diſciplinis cōſecutos arbitrentᷣ: et iam quidē ut docti diſputēt: ſentētiaſq; ſuas obnixe tueri uelint. quod eis plurīm officit. Primus. n. ad diſciplīas gradus ē: poſſe dubitare: nec ē diſcētibus tā quicq̄ inimicū: q̄ ut nimis de ꝓpria eruditōe preſumāt: aut de ingenio ſibi confidāt. ſic enim ipſi ſe fallūt: in qua re minime neceſſe eſt. Neminē aūt facilius eſt fallere: q̄ ſeipſum: neminē maiore dāno decipimus. fit aūt id ideo: qm̄ nōdum diuerticula: et amfractus: et ꝑcipicia: que in ſcientiis latitāt: īexpertis liquēt. qbus euenit: ut aut de libris. pleraq; male corrigant: que per

se nequeũt ĩtellıgere: aut imperitiã scriptorum negligentiã ue culpãtes multa spõte pretereunt nõ intellecta· uerũ eas opiniones: studiũ et perseuerãtia excuciẽt. fient aũt comode oĩa: si rite tempora dispẽsabunt: si singulis diebus statutas horas lr̃is dabimus: neq; negotio ullo distrahemur. quo minus aliqd legamus. Nã si Alexãder in castris lectitare plurĩm solebat. Si cesar etiam cũ exercitu ꝓficiscẽs libros scribebat. et Augustus Mutinensi bello rem tantã adortus: sp tñ in castris legere aut scribere: & quotidie declamitare cõsueuerat: qd poterit urbão otio ĩteruẽire quod nos diu a lr̃aꝝ studiis auocet. utile aũt ẽ: uel cuiuslibet minimi tẽporis iacturã ꝓ magna reputemus: et ita tẽporis: queãdmõm uite ac salutis rõnem habeamus: ut nichil inutiliter nobis depeat. ueluti si inertes horas: et que apud ceteros otiose sunt: aut studiis leuioribus dabimus aut lectiõe iocunda trãsigemus. Bone enim rõnis est: ea quoq; bona colligere: que solẽt negligere ceteri ut si qs super cibũ legat: & somnũ quidẽ inter libros expectet: aut certe per libros fugiat. Quamq̃ philosophi obesse uisui lumini busq; cõtendãt quod ueꝝ est: si modo id preter modũ: id est. aut ĩtentiõe nimia: aut sup multã

saturitatem id fiet. sed et illud quoq; pderit nō nichil si iter bibliothecas nr̃as cōtra atq; in oculis instrumēta hec cōstituamus: qbus horas ac tēpora metiri solēt: ut quasi tēpus ipsum fluere labiq; uideamus. Et si eis ipsis locis ad nichil aliud q̃ ad quod cōstituta sunt utemur: nullam ibi aut occupationē: aut cogitationē externā admittētes. Hec aūt que dicta sunt maiora cura ac studio psequent̃ hii: qbus est īgeniū ad disciplinas aptius: q̃ corpus ad bella. qbus uero & ingeniū uiget: et corpus est ualidū: eos oportet utriusq; curā hēre: & aīm qdē ita formare: ut uere possit discernere: & recte uelit īperare. Corpus uero et fortiter ferre: ac facile parere possit. ac deniq; nos ipsos totos ita cōparare. ut sp parati simus nō ad inferendā uim: sed ad arcendā iiuriā. Aut si uim quoq; adhibere pmittemur: nō prede cupiditatisue gr̃a: sed ꝓ īperio: gloriaq; decertare Maxīe uero principibus cōuenit in militari disciplina īstructos esse. Nā eos quidē oportet: & pacis et belli artibus abūdare: et posse exercitū ducere: & ipsos cū opus erit corpore suo depugnare. quod esse debere Alexāder qui magnus ē cognominatus: ut facto semper: ita uerbis sepe significabat. Nam quotiēs de Homeri uersibus:



cuius studiosissimus erat: inter amicos ut fit cō
tētio ĩcidisset: qs nā esset ex oībus elegātior: illū
semp unū eximie ꝑferebat: q est de Agamenone
scriptus. Rexq; bonus fortis lāceator: q̃si eundē
deceat: qui bonus est rex: fortē etiā esse pugna-
torē: exercendū est igit̃ ab ipsa infancia corpus
ad miliciā: et aĩus ad patiētiā formādus: ac uelu
ti equos solent: manu ducēdus est in studiū: ut
per laborē ac sudorē ferre solē laborēq; assuescat
Nam ut in arboribus tenues quidē ramusculos
persepe uidemus magnā pomorū uim de se natā
a primis floribus: ad iustā magnitudinē ꝑferre:
eoq; onere & si plane quidē deflecti: minime tn̄
frāgi: quod nisi exercuisset: ualidiores quoq; ra
mos appēsum euerteret. ita & hoĩes: nisi primo
a pueris: ac deinde per oēs etates patiētie laboꝝ
& aĩo et corpe assuescāt: si qua postea difficul
tas ĩmineat: frāgunt̃ ꝓtinus: neq; ferre uim ad-
uersam ualēt quod ipm & magnoꝝ legislatoꝝ
quos uetustas celebrat: Minois ac Licurgi auc-
toritas monet. Cretensiū qdē: ac Lacedemōioꝝ
leges laboribus erudiebāt iuuētutē nō mō ad pa
tiētiā corpis: sed ad cōtinētiā animi: quos foris e-
ducādos: exerceri ĩ uenatōibus: ac p hec currere:
saltare: esurire: sitire: extuare: uidebant: ut sic

exercitatis uti facile ad militiã possent nã delicie
qdẽ aĩos hoĩm: corpaq dissoluũt. labor uero cõ-
firmat et indurat. itaq nõ nisi ĩdurati laboribus
durare laboribus pñt. q aũt ita cõsuescẽt: et aĩo &
corpe utenẽ facile: cũ opus erit ad picula: & diffi
cultates oẽs subeũdas. Quo ĩ genere neq ex uete
ribus neq ex nr̃is ullũ exẽplũ illustrius pponere
tibi ualeo: q̃ parẽtẽ tuũ. Libẽter. n. ut uides ima
gines tuo⁊ maio⁊ tibi ppono: eosq crebro stu-
dio ad memoriã reuocare: qm̃ et est in illis quid
magnifice sequi ualeas: et domesticis exemplis
solent hoĩes magis excitari. Nã ut gloriosum ẽ
suos bñfaciẽdo uincere: ita turpe iudicari solet.
ab hiis quo⁊ uirtutem honori nobis ducimus:
uita et moribus degenerare. Sed redeo ad parẽ-
tem tuũ: cui cũ innumere laudes tribui pñt ipsẽ
tñ de se nulla re magis q̃ labo⁊ patiẽtia gloriari
solet. Est enim id quod uidemus: ita ad labores
ĩpiger: et in periculis audax: ut nec molẽ corpis
ferre se ullã: aut esse mortalẽ genitũ arbitrari ui
deat. Ex contemptu nãq laborũ: mortis quoq:
ĩnascit contẽptus: et crescit audatia: qua ita ille
intrepide queq difficillia aggreditur. ut nichil
metuere credẽdus sit preter id unũ forsitan: ne
seni mori sibi cõtingat: quod optĩa rõne sentire

michi uidet. Spectāda est. n. uirtus semp: et ad facta pclara itendēdus est aīus: de uita nō magnopere curandū. Quisqs. n. mūdanas res existimatōe debita pēsabit: facile cognoscet: et fructus diu uiuēdi minoris eē: q̄ ut lōga uita magnope expeti debeat: & casus: q̄ ut uel breues sperari possint. Decet igit̄ et honeste in pace uiuentem in bello fortiter facientē: cetera qdē eq̄nimiter ferre. mortem uero qñcunqʒ adueniat facile admittere: plerūqʒ cū occasio aut necessitas postulat illi occurrere. Non. n. timeri id oportet ne forte paꝝ uixerius: sed ne idip̄m quod uixerius paꝝ uixisse uideamur. Habet. n. oīs etas: ut edere magnificū possit: Scipio qui postea primus affricanus ē appellatus: uix dū pubes sub pre: ꝓ pria: aduersus penos militās: cū Hanibal romanos ad Ticinū fudisset prem ipsum cōsulē: belliqʒ ducē: affectū graui uulnere: et ab hostibus circūuentū periculo exemit. Sicqʒ ex qua pugna uix ueteranis fugere cōtingit: Scipio id etatis: cōsulē: ducem: ciuē: & patrē nō minus pie: q̄ fortiter faciendo seruauit: cumulatāqʒ & publico & priuato merito laudem retulit. Emilius quoqʒ Lepidus puer ꝓductus in pugnā: eodē cōgressu & hostē occidit: & ciuē seruauit In cuius rei memoriam

statua illi pretextata ex senatus consulto posita est: ut et ceteri exẽplo accẽderent: et auctoritas preclari ĩ ea etate operis sui honos haberet. sed et tu quoq; nisi tuas tibi laudes inuiderimus: utroq; illoꝝ minor ut eras natu: apud Brisciam nuper cũ esses in exercitu germanoꝝ progredi ausus es: in hostes armatus: q̃tum ceterorũ nemo militũ offerre se sustinuit. Quoquidẽ facto nescio qbus magis: an hostibus admirationi: an uero amicis rubori fueris. Ita igit̃ a primis annis ĩstituẽdi sunt pueri: ut et audere magna possint & difficillia tollerare. Quid. n. ẽ illud de lacedemoniorũ pueris. Nã hos qdẽ de cura educatõis eoꝝ plurĩm apud ueteres cõmẽdãus. quos spũs gignere mos ille debuit: quibus cõsuetũ erat: in cõcertatiõe equaliũ: patiẽtiã tantã prestare: ut ui deiecti: ac casu interluctandũ collapsi: necari se potius exanimariq; paterẽnt: q̃ uictos fateri se uellẽt Quid. n. miꝝ Nã et ad arã uerberibus sic accipi solebant: ut multus sp e corpe sanguis flueret plerũq; spũs exalarẽt. nemo tñ aut exclamauit unq̃: aut uix minimũ signũ doloris edidit Ita domi formata iuuẽtus: ea demũ militie opã gerebat: qbus uetustas oĩs memori plena ẽ. Nã qd audire eos: aut a duce: aut ã pluribus poterãt

cū in hostes ꝑgressuri: per blādicias monirent a matribus: ut aut uiui arma referrēt: aut mortui in armis referrent. qm̄ tradere arma hosti: aut abiicere fugientes: peius morte iudicabāt. Igit illi ut partes corpis et curabāt eas: & tuebant: nec mirū: si se uiui in armis crebro spectādos exhibebāt: q etiā mortuis fore ea sibi decori relata existimarēt. Prestat aūt cōsuetudo usus℥ deferēdi: ut armis eque ut mēbris aut uestibus utāt nec uideat eis corpi onus adiunctū: nam nisi ita fuissent romane legiones lōga assiduaq℥ exercitatione īstitute ab exercitādo. n. exercitus dictus est quo nā pacto potuissent: cū in agmen ꝓcedere: ac plerūq℥ citatū arma primū deferre: uallū insup et si cuius rei ad quotidianū agerēt usum ac super hec una spe quindecim aut eo amplius dierum cibos onus iumēto difficile. Qui ergo erūt aut armoꝝ: aut lraꝝ studiis dādi. qñquidē hee sunt liberalissime artiū: maxīeq℥ principales ꝓpterea q & maxīe principes deceāt simul ac mēbris uti licebit p etatē armis assuescere debebūt: discēdisq℥ primis lrīs tradēdi erūt cū primū poterūt uerba formare. Iamq℥ abinde reꝝ illaꝝ ac studioꝝ que sunt per uitā acturi: debēt quedam quasi libamēta gustare: talibusq℥ exercere

rudimētis: sed et hec utraq; ipsa facile seq iūicē poterūt: ut certas horas ad exercitiū corpis ha-beāt: & itē certas horas lrario ludo deputēt: ac nō modo pueros: sed et uiros decet hoc facere quod et Theodosiū facere solitū pbibēt: ut die qdē aut exerceret in armis: aut de subditoꝝ negotiis iure dicēdo decerneret: nocte uero libris ad lucernā incūberet: ac de lraꝝ qdē studiis supra satis quod uisum sit: dixīus. reliq̃ ꝓseq̃mur. Ea igit̃ exercitia suscipiēda erūt: que bonā ualitudinē saluēt: & robustiora mēbra reddāt. ī quo erit uniuscuiusq; naturalis dispositio diligēter attendēdā. Nā q sunt hītudine corpis molli atq; hūidā: fortioribus exercitiis siccādi indurādiq; erūt: ceteri leuius. et qbus facilis ē sanguis īflā-mari: eos ardēte sole acqescere couēnit. sed eta-tis quoq; habenda erit ratio: et usq; in tempus pubertatis leuioribus oneribus subiiciantur. ne uel etatis neruus frangatur: uel impediatur cor-poris augmentum. post pubertatē uero graui-oribus laboribus edomandi erūt: et impuberes quidem magis ad ītellectum decet erudire: hos uero ad amores. Item illos ad disciplinā curare: hos magis ad robur: et ualitudinem corporis. Quantum autem sit momentum in exercendis

iuuenibus: et que cura adhibenda: exemplo sit Marius: qui ut auctor est Plutarchus: cum esset senex. et multa corporis mole grauis uir. tanta belli gloria per pacem tamen ut filium militaribus officiis atq; artibus instrueret: quotidie cū adolescentibus ueniebat in campū: et exercebat una. Per hec nāq; ad umbrata certamina: ad ueras pugnas audaciores doctioresq; perueniunt. Nā nisi esset utilis hec pugnandi disciplina que per pacem: atq; in ocio queritur: frustra nō temere. P. Rutilius cōsul armoꝝ tractādoꝝ disciplinā prius accipe milites uoluisset: q doctoribus gladiatoꝝ urbe accitis meditari hāc oēm uitādi atq; īferēdi ictus penetrare ī castra iussit: ut milites nō solū uiribus et audatia qbus ātea solis utebantur: sed etiam arte industriaq; ualerent: Docendi sunt igitur iuuenes: que in hunc usum pertinēt: ut posse hostem gladio quidē dextra ferire: sinistra uero breui umbone se tegere ensem: ueru: fustem: lanceā: utrisq; manibus tractare: et nunc quidem se effundere: nūc uero denuo sub clipeo cogere: punctim cesimq; sine difficultate ferire. Exerceri quoq; decet ī cursu: saltu: lucta: ac pugillari certamine: iaculari q̃ longissime: recte sagittare: uibrare sudes: saxa rotare

equos domare: eosq; nunc ad cursum aut saltum adactis urgere calcaribus: nunc item flexis habenis: medio cursu peruertere: et ita in utrūq; se parare: ut eques et pedes pugnare facile quisq; possit. Equitū quoq; occursus: dū se telis īfestis petūt: & audatiores facere solet: & ad pugnam doctiores: cum et cuspidē suam ubi intenderint locare didicerint: & contra se uenire aciem immotis luminibus perferre. Armorum uero species quemadmodum et uestimētorum quotidie uariat usus. eam autem mutationem ita sectari oportebit ut experiamur singula: meliora semper teneamus. Similiter autem et pugnandi cōsuetudines uariari solent. Nam olim quidem tēporibus priscorū heroum curribus depugnare duces cōsueuerunt. postea uero apud romanos maxime: pauci equites. aut certe non multi. uis autem exercitus pene tota in peditibus nunc nemo curribus: omnes fere in equis bellantur. quod autem in usu est si modo prestat: seruare conuenit. et per campestres exercitationes assidue id meditari: ac deniq; oportet ad singula certaminū genera: exercitatos uenire. Nam aliter in tumultuaria pugna agendū est: aliter: cū tota decernitur acie. Aliter quando concurrūt

manipuli. Aliter cum duello confligitur. Nam pleriq; in acie fortissime nisi sunt dimicare: qui cum essent ad singulare certamē prouocati: animo uiribusq; torpuerūt. Quanq̄ hoc genus disciplinę quod per otium queritur: longe impar est ei: quod inter bellorum tumultus: per indigentiam rerum omnium: uerosq; terrores discitur. itaq; monebat Flaccus: angustā amici pauperiē pati robustus puer: acri milicia condiscat: et parthos feroces uexet eques metuendus est hasta: uitamq; sub diuo: et trepidis agat in rebus. Sic enim ad illa maiora peruenitur. que futuros bellorum duces et usu: & ratione: cōsequi oportet: ut quibus artibus ducendus sit exercitus: quibus locis castra statuenda: quo ordine locande acies: qua quis ratione hostium peruenire consilia possit. ac more belli insidias illi ponere: et ab hiis positas cauere hostiles exercitus & milites distrahere suos autem metu beniuolentiaq; continere. nec militarem unq̄ remittere disciplinā. ut enim uirtus militum ducibus laudem parere solet: ita et illorum peccatum culpe plerumq; ascribitur ducis. Nam eque uero ex benefactis gloria: atq; ex peccatis ignominia nascitur. ipse quoq; quecunq; tempus habēt pre

deliberata exequi: nec ut in re noua. aut subita tumultuari. neq; enī militū animi stare possunt: cum ducis consilium labat. Milites uero ipsos oportet. Nam quidem fortes existere: belladiq; artibus instructos esse: tum habere militum armorum quod satis est: alimētorum uero nō nisi quod necessitati suppetat. Que igitur sint ducis que militis partes: quod equitis: quodue peditis sit officium: usus atq; experientia docebit. que profecto ex re ipsa late refert: quam melius cognoscere liceat: quā et uoce ipsa percipi: aut ullis tradi litteris possint. tam et si extent de re militari libri a magnis uiris editi: q ne tibi utiq; erunt negligēdi. sed & machinarum quoq; uim: usumq; nosse ducem oportet: cuius rei solertissimum parentē tuum uideo: quo nescio an quisq̄ studio maiore quesierit: aut eius generis plura parauerit. Postremo ab hiis rebus nō aliena natandi quoq; peritia adolescentibus adhibenda ē In qua & augustus cesar nepotes suos: nā filios quidem nullos suscepit: ita erudiri studuit: ut et ipse plerumq; doceret. nam et a magnis periculis liberare homines solet: et ad nauales pugnas: transmissionesq; fluminum audatiores reddit. et in hoc toto genere: que ad militaria

pertinent exercitia habes quos imiteris germa-
nos tuos maiores. Franciscum & Iacobum mag-
nanimos uiros: et in armis late cognitos: om-
niq; prudētia ac moderatione insignes: quos te
decet semper ut facis omni fide ac pietate co-
lere: et ita illos probe imitari: ut minoribus et
exemplo uirtutis: et presidio adesse ualeas. Op-
time quidem generis humani societas cōstabit.
si sancta sint iura sanguinis: et erga superiores
quidem reuerentia. Ad inferiores uero huma-
nitas: cum paribus autem moderatio facilitasq;
seruabitur. Verum quoniam in opere non sem-
per uersari possumus: sed oportet interdū laxa-
menti aliquid indulgeri: huic ipsi generi modū
rationemq; perscribamus. Primum namq; pre-
ceptum est: idq; potissimū: ut nequis ludus aut
noxius suscipiatur: nec nisi quantum aut acuat
industriam: aut corporis uires exerceat. Nam
quod Scipio et Lelius et interdum Sceuola qui
fuit Lelii gener soliti sunt: dum animi remissiōi
uacarēt in litoribus maris: aut alueis fluminum
calculos: cōculasq; lectitare. fiebat in hiis pror-
sus necessitate quadam. Nam non nisi fructus
magnis laboribus: aut cum essent etate iam pro
uecta: ad hec ipsa ueniebant: sed laudabilior in

hoc genere forsitan idem Sceuola: qui optime pila lusisse dicitur. q̄ scilicet forensibus negotiis: et interpretandi ciuibus iuris labore fatigatus ad hoc potissimum ocium recreādarum uirium causa: confirmandorumq̄ laterū sese conferebat. Erit eiusdem generis uenationis: aucupii piscationūq̄ cura: que et delectatione plurima afficiunt animū: et uim membrorum motu laboreq̄ confirmant. leuiter austerum studio fallente laborem: ut inquit Oratius. Nam hec nisi tanta uoluptate condirentur. quis est qui sponte subire tantum laborem uellet: aut perferre ulla ui posset. Quanq̄ hoc ipsum Licurgi legibus studium erat. non otium adolescentiū: aut si forsitan hec grauiora uidebuntur: q̄ ut de studio fessos leuare possint: aut prorsus licebit acquiescere: aut leuiter adequitare: aut deambulare leuiter. Licebit etiam iocis inuicem: aut saltibus uti modestis: qui lacedemoniorū per otium mos erat. Quā autem ferat ea res salutem: in uita Licurgi perscriptum est: sed ne erit quidē indecens cantu: fidibusq̄ laxare animum. quā de re superius est nobis habita mentio. Nam et Pithagoreorum mos erat hic: et fuit quōdam heroibus celebre: ut Achillē Homerus inducit a pugna redeuntē

in hac re solitum ac quiescere: non quidem ama
torias cantiones: sed uirorum fortium laudes:
modulantem. Ita ergo per otium poterimus
& ipsi facere aut aliis facientibus indicare: et
eos modos amplecti: qui conuenientiores nobis
temporibusq; uidebuntur. Nam siculi quidem
modi ad remissionē animi magis faciunt et qui
etem. Gallici uero contra ad exercitationem et
motum: Italici autem inter hos medium tenēt.
Et item que pulsu et cantu fit melodia decētior
est. quod uero spiritu atq; ore minus uidetur
ingenuis conuenire. Sed et ad sonos saltare: et
muliebres ducere coreas: indigne uiro uolupta
tes uideri possunt. tametsi sit in hiis rebus fru-
ctus aliquis: quoniā et corpus exercēt: et multā
membris dexteritatem adiiciūt: si non lasciuos
iuuenes redderēt: eorumq; bonos mores nimia
uanitate corrūperent. Non ita tabule ludus: q̄m
pugne speciem prefert hostilisq; certaminis: quē
Palamides troiano bello ut uetustissimi aucto-
res tradūt adinuenit. ut uel hoc negotio milites
occupatos teneret: otiosumq; auerteret a sediti
onibus exercitum. Alee uero lusus cupiditatem
habet minime liberalem: aut indecentem uiro
molliciē. nam qui lucri causa id faciūt: maioris

questus negotia cōmodius agerent. Qui uero uoluptatem inde uenantur: tardiusculi sunt. ꝙ nichil aliud possunt inuenire: in quo honestius delectentur. In hiis igitur ludis delectari conue nit: qui artis aliquid: aut certe plurimum: casus uero q̄ minimum habeant: nisi forsitan ea non putet quis arte uacare de quibus rebus sit ratio litteris tradita: aut maiestate motus auctoris non putet indecorum facere: de quo is decorū sibi scribere existimasset. Nam Claudius cesar de Alee ludo librū edidit: quo studio delectari solent: qui sunt in hoc unum diligentes: ut oēm substantiam negligant: certe ut uniuersum uite tempus amittant. Hiis autem quibus litterarū studia uoluptati sunt: uarietas lectiōis solatium affert: nouaq; lectio ueteris fastidium tollit: in terdum tamen etiam opus est prorsus ut uidet̄ nichil agere: omnīoq; uacare: ut sufficere demū operi laboriq; possumus. Nam qui semper intē tissimus est neruus: nisi remittatur aliquando rumpi solet: tam et si nullum est tempus labori osius sapienti: q̄ quo nichil agit: si modo potest sapiens nichil agere. Quosdam uero accepimus tempus in hunc modum distribuere solitos: ut per diem ac noctem pertem somno permitteret


tertiã refectioni ac uocatiõi: reliquũ liberalibus studiis darent. quorum ego neq; damnare rationem satis audeo: neq; probare penitus possum Id autem affirmare possum et audeo: eo minus elabi nobis etatis atq; hoc nos diutius uiuere: quos plus temporis bonis studiis mancipamus. Illud uero de corporis cultu: nec postremum attingamus: ut sit decẽs: neq; nimium acquisitus: neq; prorsus neglectus: si cum rei loco tẽporiq; tum maxime persone conueniat. Neq; sedere in litteratoria scola coronatum: aut sordida ueste conuenit: aut in certamen armorum fluxa toga manu lentumue prodire. nec uero prĩcipis filiũ eque cum plebeio uili sordidaq; uti tunica aut trita clamide se prebere spectandũ. Nimia aũt cultus uenustatisq; cura muliebrem animum designat. et multe uanitatis argumentum est. Indulgenda sunt tamen adolescentibus quedam: neq; omnia eorum peccata seuera sunt animaduersione puniẽda. nisi enim ex parte aliqua iuuentutẽ expleuerint: etatis illius uicia conferẽt in senectutem. Hec ego ad te Vbertine scripsi: ut sum inicio pollicitus: non tam ut commonefacerem: quid fieri a te oporteret: q̃ ut teipsum ostenderem tibi: qui si naturam sequeris ducem


nichil monitore opus habes. ad summã uirtutẽ obtinendã. nisi enim a te ipso deficias: preclara de te omnia polliceri indoles tua uidetur. Laudes aũt si quas tibi tribuere sum uisus: ita a me uelim accipias: ut magis illas calcar ad benefaciendũ existimes: q̃ benefactorum premium esse. Adniti igit̃ summis uiribus te conuenit: ut eum te prestes uirũ: qui hjis tã generosis adolescẽtie tue primordiis digne respondeas: ne aut tu nature muneribus male usus: aut illa in te tã egregia indoles mentita uideatur. neue ego: si quid mea causa tãgeris: aut falsus de te uates: aut uanus predicator extiterim. Si probe itaq; gesseris habebis quidem ab omnibus presentem laudem A me uero et litteris si qua nobis huiusmodi facultas erit posteritati cõmendabere. Si minus: unus ero qui audeã plane dicere: idq; palam fateri: nichil tibi nisi teipsum uideri defuisse.










colorchecker CLASSIC

















x·rite

mm